



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

Præfatio Ad Benevolvm Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



P R Æ F A T I O
A D B E N E V O L V M
L E C T O R E M.

ANTEQVAM, beneuole LECTOR, ad expli-
canda Morborum Animi, seu vitiorum
Antidota accedam, de paucis Capitibus
mihi communes faciendus videbare, quo
planius Instituti mei ratio tibi constaret.
PRIMUM est, de suscepti huius operis causa. Ea fuit non
pœnitenda utilitas, quæ in nostra Societatis homines,
aliosq, qui audiendis sacris fidelium confessionibus sese to-
tos pro munere quod gerunt, dederunt, atque hoc ipso se
spiritales animarum Medicos profitentur, ex lectione re-
dundare queat. Quod si & Patres, quos vocant spiritua-
les in religiosorum Cœnobiis, vel aliis piarum SODALI-
TATVM cœtibus; Parochi item & concionatores, quibus
incumbit cura alios à vitiis deterrendi, atq, ad virtutis
studium priuatim, publicèue cohortandi in eodem opere
deprehenderint aliquid, quod industriã eorum exacuat,
hoc latius horum Remediorum fructus pertinebit. AL-
TERVM est operis Epigraphe. Eam mutuatus sum à B.
EPIPHANIO Cypri Episcopo, cuius Commentarius, quem
aduersus omnes hareses elucubrauit, ΠΑΡΑΕΙΣ, hoc est, Arcæ
Medicæ appellatione inscriptus est, quod propositum illi
fuisse, illo Opere omnium hareses & morbis inde à Christia-
nare-

na religionis primordio exortis medicinam facere. Cum
itaque & ego apud animum meum constituissem non uni
animi aegritudini, sed variis & multiplicibus mederi, non
iniuria videor eiusdem nomenclatura vocabuli hanc Tra-
ctationem inscripsisse. TERTIVM est de Fontibus, unde
hac nostra spiritualia Antidota deprompta sunt. Ii fere
quaterni sunt. Spiritus S. Oracula sacris veteris nouiq;
Instrumenti codicibus mandata. S. PATRVM veterum,
maximè autem Ecclesiæ Doctorem, Græcorum æquè ac
Latinorum volumina. Philosophorū deinde quorundam
Ethnicorum monita vel apophthegmata, ac demū Exē-
pla paucula, sacra vel prophana ceteris illustriora. Quod
Fontem D. Scripturæ attinet, is tam fecundus & exube-
rans est, ut vel solus administrandis omnis generis Re-
mediis sufficiat. Omnis morbus animæ, inquit in Psal.
36. B. AVG. habet in scripturis medicamentum suum.
Et S. HIER. in consolatione ad Iulianum. Ad sanctarum ^{Ep. 48}
Scripturarum grauitatem confugimus, vbi vera vul-
nerum medicina est, vbi dolorum certa remedia. Et
in epistola ad Eustochium Virginem prolixè laudat B.
PAVLAM Romanam, quemadmodum variis scriptura-
rum sententiis cōsuesset, quasi armatura Dei, omnia Sa-
tanæ tela auertere. Sed & S. CHRYS. in Euangelium Ioan- ^{Hom. 36.}
nis scribens ita loquitur. Omnium medicinarum the-
saurus diuinæ scripturæ sunt: & siue stultitiam exue-
re, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatem
expellere, siue dolores contemnere, siue fortem ani-
mum induere, siue aduersa æquo animo tolerare veli-
mus, quam plurima hinc remedia inuenire possumus.

)) (Secun-

Secundum sententiam, ut dixi, præbent S. PATRES qui duplici nomine hoc spirituale Pharmacopoliū adauxerunt. Vno, quod plerique eorum per eruditissimos commentarios diuinas litteras illustrarint, atque ideo non potuerunt non antidota aduersus omnis generis morbos in illis tradita locupletare. Altero, quod pene omnes Episcoporum & Christiani gregis Pastorum munere (quorum non solum est oues, dum sana sunt, conuenienti victu pascere, sed etiam dum agra sunt, sanare) in Ecclesia Dei profuncti fuerint. Vnde apud Ezechielem Prophetam in ignauos populi pastores his verbis Deus iam olim inuectus est. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Sequitur fons Ethnicorum Philosophorum, exiguus ille quidem & aqua in vitam aeternam saliente destitutus, minimè tamen continendus. Sæpe numero siquidem usu venit, ut qui saluberrima Christi Domini, priscorumque Patrum consilia curandis animi morbis destinata temere repudiant, non tamen audeant gentiliū Philosophorum monita respicere, ne dum luculenta rationi repugnant, de potestate mentis exisse videantur. POSTREMIUS fons est illustrium Exemplorum, quæ plurimum valere ad medendum animi vulneribus inde liquet, quod S. AUG. in enarratione Psal. 75. cum agit de exemplo uxoris Loth

Loth à Christo Domino apud B. Lucam allegato, ita scribat. De die iudicij cum Dominus miraretur, quid ait? Memento vxoris Loth. Omnib. dixit. Quid enim fecit vxor Loth? liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua falis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant & alios condiant. Nā & modo dicimus illud qui quibusdam fratribus nostris, quos viderimus velut infirmari in proposito bono. Et talis vis esse quales illi? obiicimus illis quosdam qui retro respexerunt: illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, isti retro ne respiciant. Sed satis de fontibus.

VENIO ad Quartū institutæ Præfationis Caput, De Ordine & Modo tractationis huius Panarij. Poteram equidem initium eius facere à PECCATIS generatim, & inde ad singulas species gradum facere, verū malui eorum more qui de Quæstionibus vel Casibus Conscientiæ scribunt, in ordinem Alphabeticum omnia vitia redigere obgeminū Lectoris cōmodum. Alterum, vt cuiusq; Vitij remedium, inspecto Elencho Alphabetico, proximè hic subiecto promptius inuenire posset. Alterū, vt lectioni omne adimeretur fastidium, quod caueri non potuisset, si capita omnia quæ similitudine aliqua argumēti conspirant, suo ordine locata fuissent. Quod ad MODVM tractationis attinet, primum noris, me nō omnia diuina Scripturæ, sanctorumue Patrum testimonia, sed præcipua tantum & se-

lectiora, ne turba animum legentis obrueret, descripsisse:
nec ita scrupulosè singulas periodos, salua tamè sententia,
appendisse, quin verba aliqua interiecta compendii causa
interdum prætermittentur. Deinde iis ferè Auctoribus
Tractatus citatos attribui, quibus vulgo inscribi solent,
vt opus imperfectum Homiliarum in Matthæum, B.
Iohanni Chrysostomo, & sermones ad fratres in eremo,
D. Augustino, atq; id genus alia: quoniã, vt non sint eo-
rum Auctorum, quorum nominibus iam aliquot seculis
euulgati fuerunt, ob antiquitatē tamen, & doctrinæ præ-
stantiam iam pridem auctoritatem meruerunt. Postremo
neq; vocabulū REMEDII, vel ANTIDOTI cancellis a quo
angustiorib. circumscribendū existimaui; Eo enim gene-
ratim intelligo, quicquid ad vitia detestanda, ad sanan-
dam animorum agridudinē, ad mores peruersos cum me-
lioribus commutandos iuuare potest; cum videam us hos
insigni aliqua sacrarum litterarum sententia, illos graui
sanctorum Patrum dicto, alios Philosophi, vel Principis
Ethnici illustri apophthegmate; alios alia re, quamuis in
speciē leui ad officium faciendū, colendamq; virtutē per-
moueri. Imitandi. n. sunt boni medici, inquit B. C. HRY.
in Matthæū, qui nō vno curationis modo vtuntur, sed
cum viderint primis remediis nō esse depressum mor-
bum alia atq; alia rursus excogitant, & aliquando qui-
dem ligantes membra dolores doloribus excutiunt:
aliquando verò incidunt: ita multis variisq; meden-
di generibus tandem corpus ad sanitatem reducunt:
VALE, & qui boni consule, si non factum, saltem benefa-
ciendi voluntatem.

ELEN-

Hom. 10.